

fiat remissio. [104:] Pronomen „nostra“^r est vox perpetuae confessionis omnium sanctorum agnoscentium se pollutos esse vitijs et peccatis multiplicibus. Clausula addita, „sicut et nos remittimus“, monet nos de dilectione proximi, quae tegit aliorum infirmitates et multas iniurias condonat publicae tranquillitati, ecclesiae et reipublicae.

5

Quae est sententia quintae petitionis?

Fatemur omnes nos esse reos et pollutos et petimus remissionem peccatorum gratis promissam propter Filium Dei et monemus nos ipsos de nostra poenitentia et de mutua condonatione offensionum erga alios.

Est ne nostra remissio causa remissionis
diuinae?

10

Si remissio non esset gratuita, non posset dici remissio, sed potius compensatio, et si cogitandum esset propter nostram condonationem dari remissi-[105:]onem, fieret incerta reconciliatio. Quanquam enim conuersi repugnant odijs, tamen aliqua semper cicatrix seu imbecillitas in nobis manet.

15

Explica sextam petitionem.^s

Ne nos inducas in tentationem. „Tentatio“ significat sollicitationem aut impulsionem carnis, mundi et diaboli ad res, quas Deus odit et quae nobis perniciem aeternam afferunt. In verbo „inducas“ phrasia Hebraea est significans permissionem: „Ne inducas“, id est: „ne sinas nos induci“. Potest etiam intel- 20
ligi secundum regulam: „Verba Hebraeorum intelligenda sunt cum effectu.“
„Non inducas in tentationem“, id est: „ne ita sinas induci, vt opprimamur tentatione.“

^r noster: G.

^s Holzschnitt: Versuchung Jesu durch den Teufel (Mt 4,1–11): B.